

EPITHALAMION

FESTIVITATI

NUPTIARVM LITERA-  
TAPIETATE ETHUMANI-

tate ornatissimi juvenis

Dn. DANIELIS FALCK  
GEDANENSIS,

SPONSUS

&

LECTISSIMÆ PUDICIS-  
SIMÆQUE, NEC NON OPTI-  
ME MORATÆ VIRGINIS

ANNÆ,

Honesti prudentis & pij viri Dn. MARTINI  
DASSOVV civis Gedanen. filia,

SPONSÆ

Celebrantium nuptias 12. Cal. Julij anni instau-  
ratae nostræ per Christum salutis 1605.

Scriptum & dicatum ab

ANDREA DASIO ECCLESIASTE  
& Ludimoderatore Stargardiensi.

DANTISCI

Typis MARTINI RHODI.



AD SPONSUM.

Sponse tibi dico multam Sponsæq; salutem :  
Comprecor. Et thalamo fata secunda tuo.  
Pacato vultu capias; Et fronte serenâ  
De causis casti carmina volue tori.  
Quod superest, valeas vivens cum conjugè Sponsa  
Nelidæ fœlix secula trina Ducis.

A. D.



## EPITHALAMION.

**V**erus ubi cunctas res voce potente creavit,  
Machina quas mundi continet ampla, DEUS:  
Has bene disposuit sapientis munere dextra,  
Iussit & assiduo currere lege bona.  
Nam DEUS incerta non vult res lege vagari:  
Ordinis omnis enim est fons & origo boni.  
Astra tenent certos cursus motusq; perennes:  
Et tellus justo tempore germen agit,  
Ver varios flores, messis producit aristas;  
Poma dat Autumnus, frigida Bruma nives.  
Sic etiam certis animalia legibus ire  
Vult: simile atq; sibi gignere quodq; iubet.  
Nam, cum legitimi sanxit primordia lecti,  
Crescite dixit Adæ; prole replete solum.  
Sed cur instituit genialis fœdera lecti,  
Vultq; duos unâ vivere carne, DEUS?  
Pacta maritalis thalami moderator Olympi  
Instituit castus servat amatq; DEUS:  
I. Ut sacra cœlestis faciamus iussa Parentis,  
Qui solus finxit totius orbis opus:  
Inq; suo verbo mortales lege se vera  
Omnes vult socij vincla subire tori,  
Qui nequeunt casti decus observare pudoris,  
Dum sibi vitalis spiritus ossa regit;

Sed fœdæ Veneris furto latantur iniquo,

Quod castæ menti displicet atq; D E O.

Divus ait Paulus, præstat sacra jura subire

1<sup>a</sup> Cor. 7.

Conjugij, flammâs quàm tolerare vagas.

11. Præterea casti thalami veneranda statuta

Nos moneant, castus quòd sit in axe D E U S.

Quodq; vagæ Veneris flammâs & furta nefanda

Oderit, & dextra vindicæ sæpe premat.

Cùm sacra, ceu perhibent passim, tum exempla profana,

Furta Deæ Paphiæ pœna quòd ampla manet

Ceu sunt Diluvij, Sodomæ stirpisq; Iacobi,

Quæ cum gente Moab turpe peregit opus.

Num. 25.

Ob quod Ibova potens tum bis duodena peremit,

Millia Thariadæ è posteritate virum.

Iud. 20.

Cur tribus Isacidum dextræ de nomine Gnati,

Diçta, ferè quondam perditâ tota fuit?

Iud. 19.

Facta Dionæe Matris perversa fuere

Illius cladis, proxima causa gravis

Sunt & Leuctra gravis monumentum triste furoris,

Æqua quo pensat crimina lance, D E I.

Mœnia Trojugenum cur sunt disiecta Pelasgis?

Ob Cypriæ turpis turpia facta Deæ.

Omnipotens etenim iusta est, sancta atq; benigna,

Verax non tantum; ast mens quoq; casta D E U S.

Propterea illarum virtutum semina vera

Mentibus humanis iussit inesse D E U S.:

Lucida quæ fuerant hominis sub pectore imago

Trini personis, unius Ente D E I.:

Mori=

Moribus ut castis, verbis, factisq; celebrent  
Harum virtutum tempus in omne DEUM

Crescat ut humanum genus & seruetur in orbe

III.

Connubij casti tertia causa fuit.

Ut sibi per verbi caelestis dogmata pura

IV.

Colligat hic cæcum, qui sua iussa colat

Qui sua iussa colat sincero pectore & ore

Hic & in æternos post præfata dies.

Huc transferre libet præclari dicta Platonis,

V.

Quis docuit cives vivere lege bona :

Lib. 6. leg.

Hæc sibi proponant cives solatia honesti,

Qui pangunt casti pacta pudica tori :

Et post se linquant cultores numinis almi,

Quod vult à nobis simplice mente coli.

Ibidem.

Idem rursus ait, gignant seveantq; Parentes

Fidi concessi pignora grata jugi :

Quæ vitam tanquam præclaram lampada tradant

Gnatis, ne desint corda dicata Deo :

Quæ summum verè venerentur in orbe Parentem,

Illius veluti sancta statuta jubent.

Hæc, licet æternum non nôrat ritè Monarcham,

Eximia excultus dixerat arte Plato.

Provehere ulterius causas dictura hymenæi

Musa ; sed in paucos contrahere vela sonos.

Ceu levis unda vagi Vulcani incendia magna

VI.

Extinguens tollit maxima damna domus :

Sic æstus Veneris furtivæ pacta jugalis

Extingunt lecti, damnaq; multa fugant.

Uig.

- VII. Utq; graves pœnæ certò vitentur, honestè  
 Casti sunt thalami jura colenda pijs.  
 III. Nam velut umbra levis corpus comitatur euntis,  
 Pœna solet Veneris sic quoq; furta sequi.
- VIII. Ut comitem vitæ fragilis sociamq; laborum  
 Vir habeat, pangat vincula casta tori,  
 Dixit enim, vasti torquet qui climata mundi,  
 Finxit ubi dextrè cuncta creata DEUS:  
 Cetera si gaudent animalia compare vitæ,  
 Hac sine num debet vivere solus homo?  
 Vivere solus homo properæ sine compare vitæ  
 Suavi non debet vivere solus homo,  
 Hinc sanxit casti genialia fœdera lecti,  
 Ac unâ jussit vivere carne duos.
- IX. Deniq; quò liciti veneranda statuta cubilis  
 Sanctorum & Christi svaavis imago forent,  
 Nam velut uxorem vir diligit atq; tuetur:  
 Sic eadem Christus præstat in orbe pijs.  
 Conjugij hos fines cautâ qui mente revolvit,  
 Prudens is verè est & pietatis amans.  
 Est pietatis amans, prudenti est mente politus  
 Sponsus, Cyrrhæis pectora tinctus aquis.  
 Nam sacra cœlestis non temnit jussa Parentis;  
 Sed vigili studio, quæ jubet, illa facit.  
 Quod probat, ad nutum Ihovæ dum fœdera jungit  
 Sancta volens sanctè vivere in orbe vago.  
 Nam sibi conjungit sociali lege puellam  
 Egregiam morum laude, pudore, fide.

Huic

Huic cum cognatis & civibus ergo Thasia,  
Illius & Sponsæ fausta pretare nova.  
Sponse diu vivas felix cum conjugæ Sponsâ,  
Nec turbent vestrum fata sinistra jugum.  
Blandula nec desit soboles: nec copia rerum  
Desit: Pax thalamum muniat alma tuum.  
Sint rata Christe precor, casti fundator amoris,  
Vota, novis Sponsis queis bona quæq; precor.

✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠✠:(~)✠


DANIEL FALC:  
ANNA DASSOVIA.

Per Μηγάρανα. (Omissis literis F. & A.)

DALAC: LENI:  
NON DAS SVAVIA.

**V**Bere DA gravido niveum LAC Sponsa venusta, *Sponsa.*  
Cum Dyctinna novem sentiet alta vices.  
Et LENI suavi morum probitate severas  
Curas, quas misera & vita jugalis habet.  
NON dubites LAC me suavissime Sponsæ daturam, *Sponsa.*  
Cum novies referet cornua Luna nitens:  
Nam Ambrosia dulci tu DAS mihi SVAVIA, Sponsæ,  
Nobiliora, tuus quicquid & hortus habet.  
Quæ meus hortus habet cur non dem, & dulce tenellæ,  
LAC soboli, auxilium suppeditante DEO.  
Mordaces curas vitæ lenire jugalis  
Conabor vigili sedulitate mea.

ANE



ÆNIGMATA EIUSDEM.

I.

INcoat & finit medio comitatus Achate,  
Rex populi unius scepra venusta bene.

II.

Tres natos virgo peperit totidemq; puellas;  
Hæ spirant; illos deficit aura movens.  
His mutis Gnatis, turbæ simul atq; loquaci  
Natarum figet basia blanda parens;  
Quæ binas natas peperit, binosq; gemellos;  
Hos mutos; illas verba fonare jubens.  
Dicite, quæ virgò, quæ virgine pignora nata,  
Convivæ docti, blandula quæq; parens?

III.

Formosæ Regina, B. enigma A. gnesq; sorores  
Sunt thalami autores Sponse novelle tuæ.

F I N I S.

